



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Carminvm Iacobi Albani Ghibbesii, Poetae Lavreati Caesarei, Pars Lyrica

Gibbes, James Alban

Romae, 1668

Ad Leopoldvm Medicem, Ferdinandi II. Magni Ducis Etruiæ germanum fratrem. Libello, quem inscripseras Trismegistum Mediceum Magno Duci dedicatum, oblato illi, tum eius scientiam literarum, tum ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-13378

S Candunt monstra gradus : nascitur en Deus,
 Virgo parturit, & quadrupedum comes
 Duro pauper anhelat
 Infans sub lare, sub gelu :
 Atqui fidereus non latet agnulus
 Custodes ouium : mollibus ilicèt
 Instrauère rigentem
 Villis, atquè inopem dape :
 Defectusquè licèt lumine, Memnonis
 Haud fallit populos Sol, prior aspici
 Phœbo, cùm negat vmbras §
 Suspenditquè meridiem .
 Afflati celerant, sidere præuio,
 Chaldæi puerum visere Principes,
 Lecto munere regem, &
 Confessi genibus Deum .
 Pandora tuleris pyxida numini,
 Plus mens pura mouet . Ternus onyx, quia
 Pronus, non quia plenus,
 Riuos sanguinis exprimet .

AD LEOPOLDVM MEDICEM,
*Ferdinandi II. Magni Ducis Etruria
 germanum fratrem .*

*Libello, quem inscripserat Trismegistum Mediceum Ma-
 gno Duci dedicatum, oblato illi, tum eius scientiam
 literarum, tum patrocinium collaudat .*

O D E VIII.

P Ost fraterna Ducis lumina, quem volo
 Polluci socium te nisi Castora
 Nostris, ô LEOPOLDE,
 Illucescere paginis ?
 Nautas fidus uti Tyndaridum regit
 Solaturquè vagos, vester Apollinem

Ob-

Obiectare Camœnis

Sic vultus profugis solet.

Quòd merces studijs, quòd decus artibus

Et laus restet adhuc finibus Italis ,

Vestrum est, gens Medicæa :

Diuim credo equidem genus

Demissum excidio barbariæ . Pater

Hoc Cosmus patriæ cœpit, honoribus

Laurens hæsit iisdem, &

Nusquàm sanguinis immemor

Votum absoluit ouans magnanimus nepos ,

Orbi iura dabat dùm Leo Pontifex .

Hinc implet Leo librum ,

Regi quem dico Tusciæ .

Priscæ facta domûs tu quoquè perlege ,

Atquè annecte tuis . Contrahis æmulus

Majorum monumenta ,

Fastis ipse nouis seges .

Fies præcipuè Mercurialibus

Res ac meta viris, te columen suum

Nunquàm tollere fessis ,

Suadæ & dicere corçulum .

IN HONOREM D. GEORGII,
ANGLIÆ PATRONI.

*Ob coronam eo die Regi CAROLO II. reduci impostam,
Genio longinquis etiam Britannis indulgendum. Ama-
rus sarcasmus in Cromoëllum .*

O D E IX.

G Emmeum vero diadema regi

Hostibus fuis properate, ciues :

Nos mari longo iuuat æmulari

Gaudia festos .

Myrtæa frontem decoremus vmbra ,

Et cruor Bacchi fluat . O mero si

Mar-